

Res, ob similitudinem quam invicem habent, nobiliter infunduntur in ipsum duplicem fumum metallicum radicalem. Cumque materia ipsa spiritualis diutissime fuerit in ea spiritualitate & coelesti obedientia: quam substantia metallicorum principiorum uniformis est ac homogenia, quæ longissimo tempore & mille annis induratur, ut dicit Geb. lib. 1. cap. 7. Ideo coeli in illam infuderunt plures ac plures mirabiles virtutes, quam in quacunque alia re, quia in ea plus operati sunt. Et hæc est causa maximæ metallorum virtutis super omnem aliam rem elementatam. Illud autem verum est, quod cum post diuturnum tempus hic duplex fumus & spiritualis vapor venerit ad duritiem metallicam, quamvis coelestes retineat vires nihilofecius impeditus & suffocatus à terreatate & duritie, eas vires præ se ferre non potest. Sed volentes nos eas vires coelicas in lucem producere, removemus terreatatem & densitatem metalli, & illud ad primam simplicitatem reducimus, quæ sufficienter decorata, tantam ostendit vim, ut quasi subito humana corpora immutet, & ea reducat ad veram sanitatem.

DIS. Quod nunc dixisti, perplacet: sed an non melius foret ex gemmis, quam ex metallis, supradictam medicinam parare?

RAIM. Quamobrem?

DIS. Quia incorruptibiles admodum sunt, & valde medicinales, & pluribus pollent coelicis

virt